

WIGANDVS, vir subacti iudicii, in *Methodo de Abstracto Theolog.* p. 15. de quo tamen quid necessario monendum sit, mox indicabimus. Vocabula enim CARNIS, SANGVINIS, & alia aequipollentia esse *abstracta*, & humanam naturam a λόγῳ assumptam denotare, nullum est dubium. Illis vero Scripturam S. virtutem divinam tribuere docent dicta totidem, quotquot ad genus Majestaticum communicationis ex Scriptura referuntur. *Joh. VI, 54. 55. Coloss. I, 22.*

§. VI. Quod itaque tandem dicitur: *Abstractionem metaphysicam totam hanc litem fundare*, quae nobis cum Reformatis intercedit, connexionem secum non fert, neque evincit, ut ideo ab illa abstinemus. Si enim in Verbo Dei fundata est, vel ideo, *quia litem totam fundat*, ab ea nobis erit eo minus recedendum vel remittendum, quo magis etiam Scripturae verbis studiose insistendum, et statui controversiae arcte inhaerendum esse, nemo dubitaverit. Si vero ideo istud ponitur, quia *nullius ponderis lis sit*, atque haec de *solis vocabulis* agitur, uti ex supra dictis argui apparebit, rursus desideramus merito vim concludendi. Nam cum vocabula sint *signa rerum*, si haec per illa bene significantur, non adeo facile ab illis erit recedendum, prout quidem videri posset. Graviter HVLSEMANNVS in hoc negotio alicubi refutat *Sarisburiensem*, qui scripserat: *Termini, quibus proponuntur controversiae, sunt metaphysici, & hominum voluntate adinventi, ut verbaliter, realiter, in concreto, in abstracto, igitur controuersia, quae de rebus est, non afficit fundamentum fidei.* Respondet HVLSEMANNVS: *Eo ipso, quo fatetur, terminos hos esse rebus superimpositos, & tantum extrinsecus notas rerum, fateatur necesse est, nullam esse consequentiam a natura & inventionem terminorum, quibus nulla utendi necessitas inest ex lege DEI, ad naturam, originem, dignitatem vel necessitatem ipsarum rerum, quod res non tam sint necessariae creditu, quam ipsi termini non sunt necessarii usurpatu ex Lege divina. Quin potius sic concludere debebat Sarisburiensis: Quantum distant ab*